




BERENGARIVS filius r. Eberhardi Ducis, Roma oriundus, è stirpe Longobardorum regum, vir magnanimus, & militaris disciplinae non ignarus. A Carolo Caluo princeps Italiae, & Dux Foroiulienſium creatus, cum Guidone Spoletinorum Duce. Hi duo autem dum in gratia & autoritate Caroli Calui eſſent, magnis collectis opibus, Carolo Craſſo animo & corpore diſiciente, inter ſe conſpirarunt, rerumque potiundarum inter ſe conſilium inierunt, placuitque, vt Berengarius in Italia, Guido in Francia nomen Imperii inuaderent. GUIDO verò mox fracto iuramento, & repulſa confoederatione, Italiae regnum affectare coepit, collectoq; magno exercitu, Italiam ingreſſus Berengarius commiſſo praelio vicit atque fugauit. Quem ruruſus Berengarius Arnulpho in auxilium vocato, fugientem perſecutus eſt. Ac ruruſus variante fortuna Guido Arnulphum inſecutus, iuxta fluiuium Tarum mortuus eſt. Berengarius itaque ſolus tota Italia potitus, multa praecleara geſſit. Ac poſtea à compatre Flamberto nocte templum ingreſſus, inſidiis trucidatus eſt.



LVDOVICVS IIII. Arnulphi Imperator ex ſecunda cõiuge Deyta filius. Vir ſtrenuus & bellicoſus, omnibúſq; amabi-